



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

[De Matrimonio 32]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

## De Vnctione Olei.

VNctio infirmorum fuit signum gratiæ diuinæ in Apostolis, qui ægrotos vngebant oleo, & sanabantur, Marc. 6. De qua vnctione loquitur etiam D. Iacobus, cum ita scribit cap. 5. *f. firmitatur quis inter vos? inducat presbyteros Ecclesie, & orent super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, fideique observatio saluum reddet laborantem, ac eriget eum Dominus, & si in peccati fuerit, remittantur ei.* In quibus verbis clarum est videre, quòd de tali Vnctione loquuntur, per quam infirmo corporalis quoque sanitas debeat conferri. Nam dicitur, *Et fidei observatio saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus.* Hoc donum conferendi sanitatem verisimile est tunc temporis adhuc in Ecclesia fuisse, quare etiam hæc signa tantò melius ad id vsurpari & adhiberi potuerunt. Quamobrem cum presbyteri nostri hoc donum, & promissionem infirmos eiusmodi vnctione sanandi non habeant, neque etiam mandatum habent hoc signum vsurpandi. Sed de hoc latius in Respon- sione ad tertiam Accusationem in secunda parte.

## De Matrimonio.

## CAP. XXXII.



E sacro Coniugio nihil eorum in Libro prætermis- sum est, quod de eo S. Scriptura docet: & de benedictione nuptiarum nihil ordinavit, quam quod S. Literis quàm maximè consentaneum est. In qua quidem initiatione nouorum coniugum signa gratiæ diuinæ vsurpantur: neque enim ibi frustrà oratur pro gratia Dei nouis coniugibus impetranda, aut ipsi de ea in nomine Domini confirmantur. Verum eiusmodi signa, siue manuum aut Libri Euangeliorum impositio, siue manuum coniugum copulatio: siue annulorum insertio, aut quæcunque alia id genus signa ibi adhibentur, quamuis ea piè vsurpari possunt, peculiare tamen mandatum non habent, quemadmodum signum Baptismatis & S. Cœnæ. Quamobrem necesse est, vt discrimen inter Sacramenta & signa Ecclesiarum obseruetur.

Ex his omnibus hætenus commemoratis, vnicique in promptu est videre, quid Sacra Scriptura de septem exercitiis Ecclesie, quæ ab Aduersariis septem Sacramenta vocantur, testetur: quæ visibilia gratiæ signa & Sacramenta meritò appellentur, aut non: & quæ ab ipso Domino instituta & præcepta sint, aut ex consequenti vsu Domini & Apostolorum, vel etiam veteris populi, pro exercitiis Ecclesie recepta sint: denique quæ ab antiquis Patribus Sacramenta vocentur, aut non. Iuxta quæ omnia, & ex tradito fundamento, breuiter & in summa hæc est responsio ad primam accusationem huius tertie partis, quod Liber Septenario Sacramentorum numero relicto, duo tantum ponat, reliquis verò quinque derogat, quòd sint ab ipso Domino instituta.

Si velimus Sacramenta vocare visibilia signa inuisibilis gratiæ, ab ipso

ipso Domino, ad vsurpandum instituta, plura sanè istiusmodi non habemus, quàm S. Baptisum & Cœnam Dominicam.

Est quidem Pœnitentia à Domino mandata, & Matrimonium ab eodem benedictum & institutum; verum hæc signa non sunt. Sed pœnitentia est excusatio seu defensio, & renouatio mentis ac vitæ. Matrimonium est coniunctio & cõmunicatio totius vitæ inter maritum & vxorẽ.

Signum Impositionis manuum in Confirmatione, Ordinatione Clericorum & Absolutione est signum gratiæ, si id rectè administretur, eo videlicet modo, vt indicatum est; atque eatenus sacramentum appellari potest, quemadmodum S. Patres etiam signum crucis sacramentum nominabant. Hoc verò signum non habet tam generale mandatum Domini, quam Baptisum, & S. Cœna.

Quare cum liber Reformationis existimet hoc signum non habere æquale mandatum Domini cum Baptismo & S. Cœna, nihil ei derogat, quod vel Scriptura S. vel veteres S. Patres ei attribuunt. Cum itaque liber Confirmationem quoque, Pœnitentiam & Absolutionem cum ordinatione perfectè doceat & requirat, ex autoritate S. scripturæ, & antiquarum verè Apostolicarum obseruationum, nihil etiam Ecclesiis de sacris istis Exercitiis per se adimitur & derogatur.

Mandatum Vnctionis infirmorum non vltcrius se extendit, quàm ad eos, quibus Dominus donum corporalem sanitatem conferendi concessit. Veram & salutarem infirmorum visitationem, docet & requirit Liber eadem omnino ratione, quemadmodum de ea S. scriptura docet, & verus Apostolicus vsus testatur.

Ex his omnibus concluditur, Enumeratis septem Ecclesiæ exercitiis nihil omnino in libro derogari, quantum vel ad ipsa per se, vel ad mandatum Domini, vel signum, vel nomen, si in vera significatione vsurpetur, pertinet. Tantum modo distinguuntur iuxta verbum Dei, & id quod peculiare mandatum Domini non habet, non comparatur cū eo, quod id habet. Tum in visitatione & consolatione infirmorum superuacaneum illud vngendi signum, cum opus eius & efficacia absit, corporalem sanitatem conferendi, sitque in multiplicem superstitionem & abusum prolapsum, prætermittitur. Et sic apparet omnem Aduersariorum pugnam in hac accusatione esse de nominibus, quæ nullibi in scriptura habentur: de numeris & externis signis mandato carentibus; cuius non tantum ex S. literis, sed ne ex Patribus quidem vel vnicam occasionem habent. Dionysium vt valdè antiquum Ecclesiæ testem semper adducunt, de quo tamen Erasmus, & alij docti contrarium sentiunt, cuius grauia & fide digna indicia habent (quamuis nec ex recentioribus scriptoribus sit): hic in libro de Ecclesiastica hierarchia multa quidem signa commemorat, quæ suo tempore in Ecclesiis in vsu erant: quemadmodum etiam toto hoc libro vniuersam Ecclesiæ œconomiam, sicut ea suo tempore in sua Ecclesia erat constituta, describit. Inter præcipua verò & communia signa plura non numerat, quàm baptisum, S. Cœnam, & Chrisma. Quæ tria etiam D. Gregorius tantum inter Sacramenta recenset: cuius verba citata sunt, 7. quæst. 1. can. *Multis secula-*

rium, &c. Gratianus quoque in fine C. Arrianos scribit, quod ex eo; quod in manuum impositio iterari possit, ostendatur, eam non esse Sacramentum. Ad hoc verò probandum, hanc allegat Augustini sententiam: manus impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud nisi oratio super hominem?

Quòd si Sacramenti vocabulū in genere accipiatur pro signo, quòd ad res sacras adhibetur, tunc S. Patres Sacramenta etiam appellant Signum crucis, in fronte designatum, & multa alia signa. Vt panem benedictum, qui olim dabatur catechumenis, ignem & exufflationem, quæ in exorcismo adhibebatur. Bernhardus vult pedum quoque lotionem pro necessario Sacramento haberi, in Serm. de Cœna Domini. In benedictione Salis apud Baptismum, qui apud aduersarios baptizant, quotidie ad salem dicunt, vt in nomine S. Trinitatis, efficiaris Salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum. Ex hoc igitur apparet, nullā Aduersariis occasionem fuisse Librum reprehendi propter numerum Sacramentorum, ne quidem ex patribus.

August.  
in Psal.  
141. Aug.  
in Psal.  
65. Lib. II.  
de meri-  
tis & re-  
missione  
peccato-  
rum.

*Quare vñctio infirmorum sit prætermissa.*

CAP. XXXIII.



D alteram accusationem tertiæ partis, qua dicunt librum Reformationis vñctionem infirmorum penitus abrafisse, respondetur; Verum est, Omisit quidem liber Reformationis hoc signum, sed ob eam causam, quod commemorata est, nempe quòd hoc signum ab Apostolis vsurpatum est ad sanandos infirmos, in nomine Domini. Hoc dono quoniam vulgus sacerdotum caret, absurdum videtur, eius doni signum vsurpare.

Quòd si dicatur, Quemadmodum in Confirmatione manus parvulis imponuntur, iuxta exemplum Apostolorum, qui tamen Spiritum S. hoc signo visibiliter conferēbant, quam virtutem Episcopi & sacerdotes nunc non habent: Sic etiam hoc signum Vñctionis ad imitationem Apostolorum circa infirmos rectè vsurpari posse, quando pro corporali sanitate & remissione peccatorum oratur, iuxta exemplum Apostolorum: etiamsi donum sanitatis etiam non habeatur, quemadmodum id Apostoli habuerunt: præsertim cū plurimæ Ecclesiæ hoc signum longo tempore hac ratione in vsu habuerint, vt apud Bedam & alios videre licet.

*Responsio.* Libertas Christiana in hoc & omnibus corporalibus actionibus multum potest: verum oportet vt ad hoc quoque respiciat, quid ædificet & promoueat pietatē. Vñctio infirmorū, tãquã extremus Baptismus, iis tãtū nūc adhibetur, de quorū vita nulla spes amplius restat, id quod manifestè cum dicto Iacobi pugnat. Ad hæc proh dolor! plurima superstitio circa vsu huius signi inualuit, vnà cum falsa fiducia in externo opere, quæ deinde Diuorum inuocatione augetur & corroboratur. Porro cū fidelis oratio per Christū etiã sine vñctione effi-  
ficax